



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Quæstio VII. De Consuetudine.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

bi gratia, dubitans de obitu prioris conjugis tenetur reddere debitum praesenti conjugii, quia jus praesentis conjugis est certum, & dubium est, an sit illicita redditio debiti ratione conjugis superstitis; praevalet enim jus certum tali dubio: Cum hoc tamen bene stat, quod si adimpletio legis sit admodum onerosa, possit ex hoc capite dari locus Epikae, si prudenter existimetur, quod nolit cum magno incommodo Legislator in casu dubio obligare.

Neque dicas; Quotiescumque lex est dubia, non obligat; ergo si dubium

fit, an hic casus lege comprehendatur; nec datur obligatio pro tali casu; quia dubitatur hic, & nunc de lege.

Respondeo enim, concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia si datur dubium de tota lege, non possidet lex, sed libertas, unde in dubio melior est conditio libertatis; Contra tamen in casu nostro lex certe comprehendit hunc casum, atque adeo possidet jus obligandi; unde in dubio, an Legislator voluerit in tali casu obligare, servanda est lex.

## Q U A E S T I O VII.

### De Consuetudine.

**D**iximus, Consuetudinem esse legem non scriptam, quae longo, & continuo usu nascitur; & in eo a lege scripta differre, quod haec initium habeat a voluntate Legislatoris signo externo manifestata; Illa vero initium habeat ab actibus continuatis, quibus accedat saltem implicite Principis voluntas. Quarendum nunc primo, Quid, & quotuplex sit consuetudo? Secundo, Quanam sint ejus conditiones? Tertio, Quanam valeant consuetudinem inducere? Quarto, Quanam sint ejus effectus? Ultimo, Quomodo abrogetur, seu mutetur.

#### ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Consuetudo?

- I. Consuetudo sumpta pro facto est Frequens usus; Sumpta vero pro jure est Lex non scripta.
- II. Explicatur consuetudinis definitio, & plura inde deducuntur.
- III. In quonam ea differat ab usu frequenti, a stylo fori, & a Praescriptione?
- IV. Consuetudo alia est Canonica; alia civilis. Dividitur etiam in Communem, Nationalem, & Municipalem.

V. Necnon in eam, quae est juxta legem, Praeter legem, & Contra legem.

VI. Num possit Consuetudo dari contra jus Gentium?

**S**umi potest consuetudo vel pro facto, vel pro jure; Si sumitur pro facto, prout sumitur in cap. De Constitution. in 6., est ipse frequens usus; Si pro jure sumatur, est Lex non scripta, de qua in praesenti agimus.

II. Quarendum itaque primo, quomodo consuetudo sumpta pro jure definiatur?

Respondeo, communiter definitur cum

cum Isidor. relato in cap. *Consuetudo*, dist. 1., quod sit *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege habetur, cum deficit lex*; Alii clarius docent, esse *Jus rationabile legitimo tempore prescriptum, moribusque perfecta Communitatis volentis se obligare, & Principis consensu inductum*. Primo debet esse *Jus rationabile, non secus ac lex*; nam utraque respicere debet bonum Communitatis, cum utraque Communitatem obliget; Quare quæ non sunt juxta rationem, & juxta bonum Communitatis, non possunt consuetudine firmari: Verbi gratia, ut notant Doctores, quod homicidæ universim sola pœna pecuniaria puniantur; quod spurii communiter sint hæredes, sicut legitimi. Secundo debet tale jus præscribi tempore legitimo, quod sæpe judicio prudentium definiendum est; & in dubio an sit sufficiens tempus elapsum, requiritur decennium. Tertio, debet induci moribus Communitatis perfectæ: Dicitur autem *Communitas perfecta* aliquod Regnum, Provincia, Civitas, non vero *Domus privata, &c.* Quarto, debet induci actibus Communitatis volentis se obligare, aliter consuetudo non obligat; Sicut nec legem abrogat consuetudo contraria legi, nisi inducatur ex intentione abrogandi legem: Quare non obligat consuetudo recitandi ter quotidie ad signum publicum, Angelus Domini, vel consuetudo sumendi cineres primo die Quadragesimæ, sumendi aquam lustralẽ, abstinendi a carnibus feria quarta; Nec obligant, quæ ex mera liberalitate, & urbanitate fieri consueverunt, ut notant *Rebel., & Menoch. apud Bonac. num. 20., ex leg. 1., ff. de Servitutibus*; nec quæ introducta sunt ex devotione. Notat tamen *Sot. lib. 1. de Justitia quæst. 3. cap. 4.* quod aliquando consuetudo ex devotione introducta continuatur ex obligatione, vel ex

nova voluntate Principis aliquantulum significata, vel quia a Communitate deinde continuatur, ut obligatoria: Quænam autem sint indicia ad discernendum, num consuetudo inducta sit ex intentione obligationis ponendæ? Explicabimus articulo sequenti: In dubio tamen semper consuetudo censenda est ex devotione, quia nemo præsumitur sibi velle novum onus imponere, nisi id probetur. Quinto, debet Principis consensu induci; quia sine voluntate Principis habentis potestatem ferendi, aut abrogandi leges, nulla potest de novo lex condi, aut abrogari: Satis autem est consensus implicitus, & voluntas illa universalis, quam habet Princeps, quod pro lege habeatur omnis consuetudo rationabilis inducta a Communitate cum intentione obligationis ponendæ, aut cum intentione abrogandi legem suam. Quas omnes condiciones clarius examinabimus articulo sequenti.

III. Ex dictis constat, in quo differat consuetudo ab usu frequenti, *A stylo fori*, & *A præscriptione*; Differt enim ab usu frequenti tanquam effectus a causa, quia usus frequens (quæ est consuetudo sumpta pro facto) parit hoc jus rationabile, seu consuetudinem sumptam pro jure.

Differt a *stylo fori*, tanquam includens ab incluso, quia *stylus* est consuetudo specialis relate ad actus judiciales, seu modus procedendi alicujus *Reipublicæ* in judiciis; unde communiter docent, *stylum Curie Romanæ* facere legem, saltem pro foro externo; quia ex frequenti usu, quo se gerit *Curia Romana* in decisione causarum, oritur obligatio servandi modum illum. Differt demum a *Præscriptione*; quia *Præscriptio* non semper respicit Communitatem, requirit bonam fidem, titulum, inducit obligationem justitiæ, vel ab ea eximit, non vero obligationem legalem: *Se-*

cus vero consuetudo inducit obligationem legalem, respicit essentialiter Communitatem, satis est illi pro titulo Principis consensus; nec requirit bonam fidem; cum possit Princeps interrompere consuetudinem, & revocare legem suam; ubi praescriptio privat Dominum re propria irreparabiliter, & ideo requirit bonam fidem.

IV. Quæritur secundo, Quotuplex sit Consuetudo?

Respondeo, consuetudinem dividi eo modo, quo lex; cum sit in rigore Lex non scripta; Specialiter tamen dividitur primo in Canonicam, quæ Clericorum dumtaxat usu introducta est; & Civilem, quæ vel laicorum dumtaxat, vel laicorum simul, & Clericorum usu dimanat; tunc enim Clerici quasi cives, & partes Reipublicæ in eam conveniunt simul cum laicis, & ideo dicitur Civilis consuetudo, quæ a laicis, & Clericis provenit. Si autem consuetudo Canonica sit totius Ecclesiæ, & consuetudo Civilis sit totius Regni, dicitur jus Canonicum, vel Civile commune; Si sit unius Provinciae, dicitur Nationale; Si unius Civitatis, dicitur Municipale.

V. Dividitur etiam consuetudo in eam, quæ est Juxta legem, Præter legem, & Contra legem. Quæ est juxta legem, non ponit novam legem, sed legem illam exequitur, juxta quam est; non enim illam observat Communitas ex intentione ponendi novam legem, sed ex intentione obediendi. Consuetudo præter legem est illa, quæ novam obligationem imponit, & novam legem condit. Consuetudo contra legem, si sit contra legem humanam, illam abrogat; Si vero sit contra legem Naturalem, & Divinam, est corruptela, non consuetudo habens vim legis; quia Deus non censetur consentire in abrogatione suæ legis per hoc, quod homines longo

tempore contra illam operati sunt; sicut censetur consentire Legislatores humani; Hic enim ex repugnantia Communitatis ad obediendum legi potest melius discernere, quid expediat bono Communitatis, & sic re melius cognita potest mutare legem suam; Deus vero legem suam non mutat, qui perfectissime cognoscit, quid bono Creaturarum expediat.

VI. Utrum autem dari possit consuetudo contra Jus Gentium? Verbi gratia, quod legatis hostium nullum malum irrogetur; Affirmant probabiliter Pal., & Suar., quamvis sit moraliter impossibile, eo quod jura Gentium sunt valde consona inclinationi naturali, & ideo vix sunt mutabilia.

## ARTICULUS II.

### De Conditionibus Consuetudinis.

- I. Non pauca enumerantur conditiones ad Consuetudinem obligatoriam inducendam requisita.
- II. Consuetudo dicitur rationabilis, si sit de re honesta, & utili Reipublicæ, etiamsi consuetudo sit contra legem.
- III. In dubio, an sit rationabilis, in favorem consuetudinis introductæ judicandum est, nisi ipsa consuetudo a lege reprobetur.
- IV. Ut Consuetudo vim habeat legis, requiritur temporis diuturnitas, & probabiliter decennium non interruptum; ac forte quadricennium, si sit contra legem Canonicam.
- V. Quanam actuum frequentia requiratur ad inducendam consuetudinem?
- VI. Actus hujusmodi debent esse voluntarii, & ex animo inducendi consuetudinem elicitum, ac majori parti Communitatis manifesti.
- VII. Etiam actibus malis consuetudo habens vim legis introduci potest.
- VIII. Unde dignoscatur, quod consuetudo

do non sit introducta ex devotione, aut liberalitate, sed ex animo inducendi obligationem?

IX. Quid de consuetudine abstinendi a lacticiis in pervigiis extra Quadragesimam?

X. Qualis consensus Principis requiratur, ut consuetudo habeat vim legis?

I. **C**onditiones ad consuetudinem obligatoriam inducendam requisitæ sunt, ut diximus, quod ea sit rationalis, quod longo tempore perseveret, quod frequentibus actibus stabilitur non ex errore, aut ignorantia precedentibus, sed voluntariis, & ex animo vel inducendi obligationem, si consuetudo sit præter legem, vel eximendi se ab obligatione, si consuetudo sit contra legem; & quod in eam consentiat Princeps, seu Legislator; Debet etiam consuetudo induci ab iis, qui legem servare tenentur, & a majori parte Communitatis.

II. Quæritur nunc primo, Quenam dicatur consuetudo rationalis?

Respondet Sanch. lib. 7. disp. 4., Suar., Pal., Sal., & alii, dici rationabilem, si sit conformis rationi, atque adeo de re honesta, & utili Reipublicæ. Ratio est, quia habetur pro lege; ergo instar legis debet esse de re honesta, & utili Reipublicæ; Quod etiam verum esse debet de consuetudine, quæ est contra legem; quamvis enim rationale non sit, quod dum durat lex, consuetudo illi adversetur; at rationale est, quod si multo tempore perseveret consuetudo, lex prior abrogetur, ne ulterius culpa progrediatur, & cives ad observationem rei difficilis astringantur.

III. In dubio autem, an consuetudo sit rationalis, & bono communi expediens, præsumenda est ita esse, etiamsi contraria sit legi; quia semper in favorem consuetudinis intro-

ductæ firmandum est, ex Sanch., Valent. num. 5., Suar. lib. 7. cap. 6. num. 15. Nisi tamen ipsa consuetudo a lege reprobetur, & non sit immemorialis: Unde patet, non peccare posteros observantes consuetudinem a majoribus introductam; quamvis illi, qui consuetudinem contra legem introduxerunt, peccarint toto eo tempore, quo consuetudo nondum invaluit; quia quousque consuetudo nondum est præscripta, nulla est ratio excusans, ut communius censent cum Suar., Bonac., Pal., Sanc. lib. 7. disput. 4. num. 14. contra Valent., Becan., Reginald. lib. 13. num. 247., Less. apud Bonac. num. 45. putantes, non peccare populum, si ex sufficienti causa nolit acceptare legem.

IV. Quæritur secundo, Quanta temporis diuturnitas requiratur, ut consuetudo habeat vim legis, & legem contrariam abroget?

Respondeo, aliquos cum Azor., Molin., Lopez apud Sal. disput. 19. sect. 4. requirere decennium, si sit consuetudo præter legem, aut si sit contra legem civilem; si vero sit contra legem Canonicam, quadricennium. Ratio est, quia leges ad inducendam consuetudinem requirunt solum longum tempus, ex leg. 1., Cod. *Qua sit longa consuetudo*; decennium autem in jure civili reputatur longum tempus, ex leg. *Super longi temporis*, ff. *de Prescriptione*; in jure vero Ecclesiastico ad præscriptionem contra Ecclesiam requiruntur quadraginta anni, ex Auth. *Quas actiones*, Cod. *De Sacrosanct. Eccles.*; Alii cum Medin., Sot., Vasq. part. 2. disp. 177. cap. 5. docent, diuturnitatem temporis neque jure naturali, neque civili, neque Canonico esse determinatam; unde determinandam esse arbitrio prudentium pro negotii qualitate, & pluralitate actionum. Sed probabilius Suar. lib. 7. cap. 8., Bonac. num. 31., & Pal.

Pal. num. 5. docent, universim sufficere decennium propter rationem adductam; quia leges requirunt ad consuetudinem inducendam longum tempus, & definiunt, decennium dici longum tempus: Nec lex praescriptionis requirentis ad praescribendum contra Ecclesiam quadricennium obligare debet in consuetudine; cum consuetudo, ut diximus articulo superiore, non sit praescriptio; non enim praescribit consuetudo adversus Principem, cum potius ex ejus saltem tacito consensu vim legis fortiat, aut legem abroget. Requiritur tamen, ut decennium non sit interruptum, ut notant Pal., & Suar. loc. cit., nam si consuetudo intra decennium interruptitur, jam non durat decennium. Censetur autem interrupta, si a majori parte Communitatis contra consuetudinem agatur, etiamsi unico actu fiat, aut si a Principe introducens consuetudinem puniantur.

V. Queritur tertio, Quot actus ad introducendam consuetudinem requirantur?

Respondeo, Panormit., & Azor. putare, quod sufficiat unus actus continuatus, qui ratione continuationis aequivaleat pluribus: Less. vero cap. 6. num. 45., Sylvest., & alii apud Pal., & Sanch. lib. 4. disp. 1. num. 22. docent, quod duo, vel tres actus sufficiant ad abrogandam legem; praesertim si fiant sciente Principe, & non contradicente, dum commode potest. Ratio est, quia ad consuetudinem introducendam requiritur frequentia actuum, seu usus crebro iteratus; quod autem bis, vel ter fit, dicitur fieri frequenter, ex cap. *Ita nos 25., quaest.* 2. Bonac. tamen, & Suar. lib. 7. cap. 10. cum Sal. disp. 19. sect. 8. num. 73., Reginald. putant, in ea lege geminationem actuum vocari consuetudinem, & frequentiam, quae sufficiat non ad legem inducendam, sed ad

graviorem criminis (verbi gratia, blasphemiae, Sodomiae, &c.) punitio- nem, ad cujus effectum quaelibet imperfecta consuetudo, & assuefactio sufficit; Nam ex leg. *Item, §. de Jurejurando*, quod semel, aut bis fit, non dicitur fieri frequenter; unde docent frequentem actum requisitum ad consuetudinem introducendam, quae habeat vim legis, aut legem abroget, stabiliendum esse iudicio prudentium; ea enim frequentia necessaria est, quae sufficienter ostendat populi consensum, & Principis voluntatem; quae aliquando pluribus, aliquando paucioribus actibus manifestantur: Quare, verbi gratia, ad inducendam consuetudinem, quod dies aliquis colatur ut festus, requiruntur saltem decem actus, videlicet ut major pars Communitatis decem annis illum diem ut festum coluerit ex intentione inducendi hanc obligationem: Ad abrogandam vero legem pauciores actus requiruntur in iudicio, quam extra iudicium; quia quae fiunt auctoritate publica, majorem habent vim, & efficaciam, quam quae solum fiunt a communi populo.

VI. Queritur quarto, Quales actus requirantur ad consuetudinem stabiliendam?

Respondeo, actus hujusmodi debere esse voluntarios, & ex intentione introducendi consuetudinem: Debent etiam esse manifesti majori parti Communitatis; quia cum consuetudo habeat vim legis, nec indigeat promulgatione, sequitur, quod debeat de se esse manifesta. Ceterum certum est apud omnes, quod actus hujusmodi debeant esse liberi, & voluntarii. Ratio est, quia si per vim, aut metum gravem cogatur Communitas ad aliquem actum longo tempore, consuetudo habens vim legis non introducit; quia non praesumitur, quod Communitas velit stabilire jus actibus ita sibi repugnantibus, seu quod actus illi

illi fiant ex intentione inducendi obligationem: Pariter si fiant huiusmodi actus ex ignorantia, aut errore circa substantiam consuetudinis, nec possunt consuetudinem introducere; quia nihil magis voluntati contrarium, quam ignorantia, & error: Quare si ignoret populus aliquam legem, & contra illam operetur longo tempore, non dicitur abrogata illa lex, cum non operatus sit populus contra legem ex intentione abrogandi illam: Et contra si falso credat aliquam legem dari, & illam observet, non inducit consuetudinem obligantem; quia tales actus non præcesserunt ex intentione ponendi novam obligationem, & statuendi novam legem, sed ex intentione servandi legem falso creditam.

Quod autem actus requisiti ad consuetudinem stabiliendam debeant esse ex intentione introducendi consuetudinem, Probatur, quia consuetudo suscipitur pro lege; ergo sicut ad legem ferendam requiritur in Legislatore voluntas obligandi subditos, ita ad consuetudinem introducendam requiritur voluntas illam introducendi ut obligatoriam, si sit præter legem; vel ut eximentem ab obligatione legis, si sit contra legem: Lex enim obligat juxta intentionem Legislatoris, & consuetudo juxta intentionem populi, ut communiter docent cum Sal., Bonac., Vasq., Pal. num. 12.

VII. Ex quibus deducitur, quod consuetudo præscribens contra legem, quam abrogat, possit constare actibus malis legi contrariis elicitis ex intentione abrogandi legem, ut docent communiter apud Sal. sect. 5.: Quamvis aliquando possit etiam constare actibus non peccaminosis; quando scilicet excusantur a transgressione legis ob magnam difficultatem, qui illam non observant, intendentes illam abrogare; quæ intentio satis conjicitur ex ipsa frequentia actuum, ex Suar. a-

Pars I.

puđ Bonac. num. 17.

VIII. Difficultas est, quomodo cognoscatur, quod consuetudo introducta sit ex animo inducendi obligationem, vel solum ex devotione, aut liberalitate?

Respondeo, prudentis iudicio id decernendum ex aliquibus conjecturis adductis a Suar. lib. 7. cap. 15. num. 23. Prima est, si consuetudo sit rei gravis, & difficilis, & tamen communiter a populo servetur, signum est, quod ex animo inducendi obligationem introducta sit talis consuetudo; quia non facile habetur uniformitas populi in actibus difficilibus sine ulla obligatione. Secunda, si populus scandalizetur a non observantibus consuetudinem, & viri timorati male de iis sentiant. Tertia, si istos Prælati, & Superiores puniant. Quarta, si talis consuetudo multum conferrat Reipublicæ. In dubio tamen, ut diximus, semper præsumenda est consuetudo ex devotione, non ex obligatione inducta esse; quia nemo præsumitur velle sibi onus imponere, nisi id constet. Unde in dubio num consuetudo obliget sub mortali, an sub veniali? censendum est obligare sub veniali.

IX. Ex his principiis deducunt aliqui, consuetudinem abstinendi a lacticiis in vigiliis infra annum multis in locis esse obligatoriam; nam damnata est ab Alex. 7. propositio illa dicens: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticia in Quadragesima obliget*; ergo cum eadem videatur esse multis in locis consuetudo abstinendi a lacticiis in Quadragesima, & in vigiliis extra Quadragesimam, utraque videtur eodem modo dicenda obligatoria: Sicut ex communi sensu fidelium obligatoria est ex consuetudine vigilia Pentecostes, Sancti Joannis Baptiste, Omnium Sanctorum, Sancti Laurentii, &c., &

S

jeju-

jeiunium quatuor temporum. Aliqui tamen docent, quod consuetudines universales ab immemorabili in Ecclesia retentæ auctoritate Apostolica institutæ sint, juxta illud August. contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur*; talis est consuetudo Ecclesiæ Latinæ consecrandi in Azymo, præferendi in consecratione, & in baptismo verba consueta, de quibus non reperitur præceptum scriptum; Sicut etiam consuetudo admiscendi aquam cum vino in consecratione Calicis; de quo habebatur obligatio ante omnes Canones, ut notat Suar.; Sicut etiam ante Tridentinum consuetudo confitendi mortalia ante sumptionem Eucharistiæ obligabat.

Ex quibus corrui doctrina nonnullorum falso dicentium, nullam consuetudinem esse obligatoriam, eo quod de nulla constare possit, quod non inceperit ex errore putantium, se ad id teneri: Nam quoties adsunt motiva constituentia plenam probationem obligationis, cujusmodi sunt firma persuasio fidelium, & omnium Doctorem, tunc obligatio subsistit, etiam si revera id sit falsum: Sicut quilibet, verbi gratia, tenetur revereri hunc, quem ex motivis sufficientibus credit esse patrem suum; quamvis revera forte non sit ejus filius. Et ratio a priori est, quia in Moralibus, ut habeatur certitudo moralis, non requiritur demonstratio; unde sicut non destruit certitudinem moralem, quod Petrus sit filius Francisci per hoc, quod non possit probari, quod non sit filius alterius, ita non destruit certitudinem moralem, quod consuetudo, verbi gratia, abstinendi a lacticiis in Quadragesima sit obligatoria, ex hoc, quod non possit probari, quod talis consuetudo non inceperit ex errore pu-

tantium se esse obligatos. Utrum autem sit pariter obligatoria consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticiis etiam in Vigiliis infra annum, & in quatuor anni temporibus? Fuscè pendimus in Trutina exponendo thesīm trigessimam secundam ab Alex. VII. proscriptam: ubi diximus, quod in iis regionibus, ubi consuetudo isthæc eodem modo viget ac in Quadragesima, pariter ibi sit evidenter obligatoria propter easdem rationes. Et Diana in summa V. *Jejunium* n. 56. diserte docet, in Sicilia h. m. consuetudinem videri gravem, & receptam sub mortali apud Regulares. Quamvis enim thesis proscripta solum loquatur de consuetudine abstinendi ab ovis in Quadragesima, eo quod talis consuetudo sit universalis pro tota Ecclesia, non proinde fit quod non sit pariter obligatoria consuetudo abstinendi ab ovis in aliis vigiliis, ubi ea characteres omnes habet obligationis instar consuetudinis in Quadragesima. Immo ex eo quod thesis proscripta loquatur de consuetudine in Quadragesima, luculenter infertur, quod idem sentiendum sit de consuetudine in aliis Vigiliis, ubi ea similes habeat characteres; ut explicavimus in Expositione primæ thesīs ab Alex. VII. confixæ num. 6.

X. Quæritur ultimo, Quinam consensus Principis requiratur, ut consuetudo habeat vim legis?

Respondeo, Bonac., Azor., Pal., Sanch. lib. 7. disp. 4. ex D. Th. velle, quod satis sit consensus genericus Legislatoris Supremi juridicus, seu qui in jure jam expressus est; nam in cap. final. *de Consuetudine*, & in leg. *De quibus*, ff. *De legib.* dicitur consuetudo rationabilis, & legitime præscripta legi derogare posse. Ratio est, quia si Pontifex, & Princeps supremus lege sua stabiliant, ut consuetudo quælibet rationabilis, & longæva habeat

vini



vim legis, jam sufficienter approbant omnem huiusmodi consuetudinem; sed de facto id stabilitum est non solum in iure Civili in leg. *De quibus ff. De legibus*, sed etiam in iure Canonico in cap. ultimo, *De consuetudine*; ergo non requiritur alius consensus. Aliqui tamen cum Vasq., & Leon. putant requiri etiam consensum personalem saltem tacitum, & virtua-lem proprii Principis; unde putant requiri, quod Princeps habeat actua-lem notitiam huius consuetudinis, & saltem tacite illam approbet per hoc, quod non repugnet, cum facile possit. Ratio videtur esse, quia non omnes consuetudines a Principe approbantur; multæ enim solum permittuntur. Sed respondetur, vi legum dictarum app-robati generatim omnes consuetudines rationabiles, atque adeo istas omnes habere vim legis, permitti vero dumtaxat consuetudines irrationabiles, & idcirco istas non habere vim legis.

Oppones: hinc sequeretur, quod consuetudines omnes hæreticorum de facto abrogarint leges Ecclesiasticas; unde isti non peccent non servando festa, jejunia, impedimenta matrimo-nii iure Ecclesiastico inducta, & alia huiusmodi, si contrariam habeant con-suetudinem.

Respondeo tamen negando seque-lam; quia relate ad hæreticos non solum non habetur consensus Pontifi-cis approbatus suarum consuetudi-num, sed illæ reprobantur; Nam ut loquitur Less. apud Gobat. tract. 9. cap. 1. sect. 8., non præsumitur Pon-tifex consentire in consuetudines hære-ticorum, aut eximere illos a commu-ni lege, cum sint rebelles Ecclesiæ; nec ullum hac in re favorem, aut be-nignitatem merentur.

## ARTICULUS III.

Quinam possint Consuetudinem  
introducere?

- I. *Privata persona consuetudinem obligatoriam inducere non potest, quamvis sit Rex.*
- II. *Cur Episcopus per contrariam consuetudinem non procedit ad subditorum correctionem cum consilio Capituli, prout lege olim tenebatur?*
- III. *Neque Communitas imperfecta, ut familia, consuetudinem inducere potest.*
- IV. *Consuetudo laicorum non obligat Clericos, nec vice versa. At ad abrogandam legem, qua laicis, & Clericis sit communis, sufficit major pars Communitatis, etiamsi sit solorum laicorum.*
- V. *Fœmina non possunt sua consuetudine abrogare legem solos Masculos obligantem. Possunt tamen Moniales sua consuetudine proprias leges abrogare.*
- VI. *Mercatores possunt sua consuetudine abrogare leges proprias, ac veluti municipales.*

I. **C**onsuetudo abrogans legem ab iis inducenda est, qui legem servare tenentur. Ratio est, quia consuetudo abrogat legem per actus contrarios; non sunt autem legi contrarii actus, nisi fiant ab iis, qui legem servare tenentur. Consuetudo etiam præter legem, ut vim legis habeat, ab iis introducenda est, qui legum sunt capaces, ut patet; unde pueri ante usum rationis, amentes, furiosi consuetudinem huiusmodi non introducunt: Sicut autem peregrini, & forenses non ligantur loci consuetudinibus, quia, ut supra diximus, non tenentur legibus loci, in quo pro majori parte

anni non commorantur; ita nec consuetudinem introducere possunt, quæ incolas obliget.

Quæritur primo, An possit privata persona consuetudinem introducere habentem vim legis?

Respondeo, certum esse, quod non possit, etiamsi potestatem legislativam habeat, ut Rex: Ad consuetudinem enim consensus plurium, & convenientia in actibus requiritur; Unde Princeps non censetur præceptum imponere subditis, ex eo quod hoc, vel illo modo operetur: Ex quo a fortiori fit, quod nec possit id subditus; irrationabile enim est, quod subditus transgrediendo legem possit se ab illa eximere; facile enim induceretur ad legem violandam, ut illam excuteret: Quod argumentum non militat in Communitate, quæ non facile inducitur ad transgrediendam legem, ut illam abroget, sed ideo sæpe illam transgreditur, quia est ardua; & conveniens est bono publico, ut lex ardua, quam Communitas ferre non potest, abrogetur.

II. Dices. Episcopus erat obligatus procedere in correctione subditorum cum consilio Capituli, ex cap. 1. *De præscriptionibus in 6.*, & tamen consuetudine a se introducta eximere se potuit ab hac obligatione, ex cap. *Non est, De Consuetud. in 6.*, ergo potest privata persona consuetudinem introducere.

Respondeo negando consequentiam, nam talis exemptio non est exemptio directa ab obligatione legis, ut notat Pal., sed indirecta, quatenus adversus Capitulum præscriptum est, ne habeat jus conveniendi in correctione subditorum; & sic ex obligatione illius legis Episcopus exemptus est per sublationem materiæ legis; potest enim quilibet præscribere adversus jus alterius, & sic privata persona ponere potest consuetudinem præscripti-

vam juris alterius; non vero consuetudinem legalem.

III. Quæritur secundo; Qualis debeat esse Communitas, quæ potest consuetudinem legalem introducere?

Respondeo cum communi, non factis esse Communitatem imperfectam, ut est familia; sed requiri Communitatem perfectam, ut est Regnum, Provincia, Civitas. Ratio est, quia cum consuetudo habeat vim legis, debet posse introduci a Communitate, quæ habeat vim condendi leges; sola autem Communitas perfecta, ut Respublica, potest condere leges, ut diximus quæst. 1. art. 3.: Et quia etiam Civitates subditæ possunt de consensu Principis supremi ferre sibi leges municipales, ideo etiam Civitates subditæ possunt introducere consuetudines legales, quæ scilicet ex consensu tacito, aut juridico Principis vim legis habeant: Debent tamen a majori parte Communitatis introduci, ut censeatur tota illa Communitas in tales consuetudines consentire.

IV. Ex dictis sequitur primo, quod si laici introducunt consuetudinem aliquam adversus legem propriam Clericorum, non proinde eximantur Clerici ab obligatione talis legis, nec e contra. Ratio est, quia consuetudo unius Communitatis non potest aliam Communitatem deobligare a lege propria alterius Communitatis; Laici autem, & Clerici circa leges proprias se habent, ut Communitates diversæ: Contra vero, quando lex est communis laicis, & Clericis, ut est lex jejunii, festorum servandorum, &c., possunt laici, qui sunt major pars Communitatis, sua consuetudine contraria eximere Clericos a tali obligatione. Ita Suar. lib. 7. cap. 26. num. 12. contra Paludan., & Sal. disp. 19. sect. 15. num. 105. putantes, quod laici faciant diversam Communitatem a Clericis; unde si laici ex consuetudine

ab iis introducta tenentur jejunare, non proinde teneantur Clerici, qui non consueverunt jejunare; Probabilior tamen videtur sententia opposita Suarii.

V. Sequitur secundo, fœminas non posse sua consuetudine abrogare legem obligantem solos masculos; sicut non possunt laici abrogare leges proprias Clericorum; Possunt tamen fœminæ, verbi gratia Moniales, sua consuetudine abrogare leges proprias, aut alias inducere, ut docent communiter cum Suar., Sal., Bonac., Pal. num. 6., quia Communitas fœminarum est capax ferendi leges proprias de consensu Principis.

VI. Sequitur tertio, Communitatem mercatorum posse consuetudine sua abrogare leges proprias, & veluti municipales, aut novam obligationem sibi imponere; cum etiam talis Communitas sit capax propriæ legis, & possit de consensu Legislatoris sibi leges imponere, ut iidem Doctores docent.

Inquiri P. Andreas Zuccherius Soc. Jesu in suis apprimè eruditiss., & commendatis Decisionibus Patavinis de obligationibus Patrum familias Casu ultimo Mensis Januarii, Num sit obligatoria consuetudo inveterata alicujus familiæ, ut quotidie stata hora congregetur ad quasdam preces simul recitandas. Et quamvis pro parte affirmativa plura motiva adducantur; negativæ tamen merito adhæret; tum quia hujusmodi consuetudines non introducuntur animo se & alios obligandi, sed ex mera devotione; tum etiam quia familia privata est quædam Communitas imperfecta, quæ consuetudinem legalem habentem vim legis introducere non potest, ut notat Palaus pun. 3. n. 2. ex Suario. Etenim Paterfamilias ut talis solum habet potestatem economicam, non politicam; neque potest filijs, & alijs

subditis legem imponere, sed solum præceptum; unde consuetudo, etiam ut conjuncta cum Patrifamilias auctoritate, vim legis non habet.

## ARTICULUS IV.

## De Effectibus Consuetudinis.

- I. Consuetudo inducit obligationem, abrogat legem, illam interpretatur, actum irritare potest, non secus ac lex, ac reddere aliquem inhabilem ad Beneficia.
- II. Potest aliqua consuetudo obligare solum ad panam, & non ad culpam.
- III. Potest etiam abrogare pœnam, relicta obligatione ad culpam.
- IV. Et e converso potest abrogare legem obligantem ad culpam, relicta obligatione ad pœnam.
- V. Num possit abrogare legem vetantem consuetudinem contrariam?
- VI. Lex de non trahendis Clericis ad potestatem laicam cur non possit consuetudine contraria abrogari?
- VII. Si reprobetur consuetudo contraria ob periculum damni, hoc cessante potest lex per consuetudinem in oppositum abrogari; Secus vero si reprobetur ob intrinsecam ejus malitiam.
- VIII. Num clausula illa, Non obstante consuetudine in contrarium, abroget non solum consuetudinem præteritam, sed etiam futuram? Et num etiam immemorabilem?
- IX. Potest consuetudo, non secus ac lex, abrogare legem irritantem; potest etiam reddere irritos actus ceteroqui validos.
- X. Quonam pacto consuetudo legem interpretetur? Et quomodo ea sit regula contractuum?

I. Mul.

I. **M**ultiplex est consuetudinis effectus. Primo enim, si sit præter legem, inducit obligationem. Secundo abrogat obligationem legis, si sit contra legem. Tertio, interpretatur leges; Si enim potest consuetudo novam legem inducere, & antiquam abrogare, a fortiori poterit legem interpretari in dubiis, ut constat ex cap. *Cum Dilectus*, de *Consuetudinibus*; ubi dicitur: *consuetudo est optima legum interpretis*. Quarto irritat actum, non secus ac potest illum irritare lex; Verbi gratia possunt consuetudine introduci impedimenta irritantia matrimonium; sicut possunt impedimenta matrimonii iure humano inducta aboleri. Potest etiam aliquis consuetudine reddi inhabilis ad beneficia, ex cap. *Cum Olim*, de *Clericis conjugatis*, aut inhabilis ad electionem, ex cap. *Humana*, de *Electioe*.

II. Quæritur nunc primo, An possit consuetudo introduci, quæ solum obliget ad pœnam, non ad culpam?

Respondeo cum Suar. lib. 7. cap. 16., & Palao, affirmative; Si potest enim dari lex pure pœnalis, quare non potest dari consuetudo obligans tantum ad pœnam? Et sane si consuetudine introducatur, ut transgressores alicujus constitutionis non obligantis ad culpam mortalem puniantur aliqua pœna, talis consuetudo obligabit solum ad pœnam, non ad culpam mortalem; ergo pariter si consuetudine introducatur, ut transgressores alicujus constitutionis non obligantis ad ullam culpam, ne venialem quidem, puniantur aliqua pœna, talis consuetudo solum ad pœnam, & nullatenus ad ullam culpam obligabit.

III. Quæritur secundo, An possit aliqua consuetudo abrogare pœnam, relicta obligatione ad culpam.

Respondeo, Castro lib. 2. de lege pœnali apud Pal. num. 2. negare, quia

eo ipso, quod consuetudo abrogat pœnam legis, censetur abrogare legis obligationem. Communius tamen cum Sal., Suar., Azor., Pal. affirmant; Sicut enim potest Princeps nova lege abrogare pœnam, relicta legis obligatione, ita potest consuetudo. Et de facto in *Extravag. 1. De rebus Ecclesia non alienandis*, & in aliis decretis sunt impositæ variæ pœnæ, quæ jam per desuetudinem cessarunt, manente legis obligatione, ut testatur Suar., & Navar.: Quod etiam verum est, si pœna sit lata sententiæ: consuetudine enim introduci potest, ut transgressor legis imponentis censuram lata sententiæ non se habeat ut excommunicatum, nec se gerat ut talem, nec ut talis existimetur, manente obligatione legis.

IV. Quæritur tertio, An possit etiam viceversa consuetudo abrogare legem obligantem ad culpam, manente dumtaxat obligatione ad pœnam?

Respondeo, id fieri posse, si pœna non est talis conditionis, ut præsupponat culpam, sicut est censura; quomodo enim potest censura incurri sine contumacia, & non præsupposita culpa? Quare lex obligans sub pœna censure non potest abrogari, manente solum obligatione ad pœnam. Lex vero obligans sub alia pœna, verbi gratia Carceris, potest abrogari, manente obligatione ad pœnam: Sicut enim potest dari lex pure pœnalis, quæ obliget tantum ad pœnam, quæ tamen non sit censura; ita consuetudo efficere potest, ut lex evadat pure pœnalis, si pœna non sit censura.

V. Quæritur quarto, An possit consuetudo abrogare legem prohibentem consuetudinem contrariam, dicendo, verbi gratia, Non obstante Consuetudine in contrarium?

Respondeo, Molin., Vasq., Sal. disp.

disp. 19. sect. 7., & alios quamplures negare, quia consuetudo habet vim abrogandi legem ex voluntate Principis; ergo si Princeps vult consuetudine contraria non abrogari legem, hæc non abrogatur. Sed communius docent cum Pal. num. 10., Sal., Bonac. num. 37., quod si consuetudo contraria improbetur, vel prohibeatur tanquam irrationabilis, & inconveniens Reipublicæ, non possit talis lex abrogari per consuetudinem contrariam, quousque ista manet irrationabilis, & Reipublicæ inconveniens. Si vero ita res mutantur, ut prudenter possit Legislator velle legi derogari consuetudine, tunc consuetudo adversus legem improbantem consuetudinem contrariam prævalere possit: Sicut enim quælibet lex abrogari potest consuetudine contraria ex consensu Principis, ita etiam lex prohibens consuetudinem contrariam potest consuetudine contraria abrogari, si adsit Principis consensus: Qui certe præsumitur adesse, si res ita mutantur, ut rationabiliter credatur velle derogari legi consuetudine. Et ratio ulterior est, quia sicut in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus, ex regula 81. *Juris in 6.*, ita neque in generali prohibitione veniunt, quæ quis in specie non esset verosimiliter prohibiturus.

VI. Ex quibus sequitur, quod lex de non trahendis Clericis ad laicam potestatem non possit contraria consuetudine abrogari; quia per talem legem reprobat consuetudo contraria, tanquam irrationabilis, & Reipublicæ inconveniens, nec ea potest evadere rationabilis.

VII. Sequitur secundo, quod si in lege reprobetur consuetudo contraria præcisè propter periculum alicujus damni, si cesset periculum talis damni, possit lex per consuetudinem in op-

positum abrogari, quia cessat causa, ob quam consuetudo contraria reprobat fuit, tanquam corruptela: Contra vero si reprobetur consuetudo ob intrinsecam ejus malitiam, non poterit consuetudo legi prævalere.

VIII. Dubium tamen est apud Doctores; Num clausula illa universalis, *Non obstante consuetudine contraria*, improbet tantum consuetudinem præteritam, an etiam futuram? Azor., & alii putant, quod solum improbet præteritam; tum quia improbare consuetudinem est odiosum, & ideo non est extendendum; tum etiam quia quando Legislator vult improbare consuetudinem futuram, id explicat clavis verbis, dicendo, verbi gratia, *Nolumus contra legem hanc aliquam consuetudinem valere*. Alii tamen cum Sanch. lib. 7. disp. 4., & Pal. num. 8. docent probabiliter, verba illa generalia etiam ad consuetudinem futuram se extendere; quia quamvis improbare consuetudinem sit odiosum, est tamen legi, & Legislatori favorabile, & ideo extendenda sunt verba ad significandam etiam consuetudinem futuram. Et quamvis possit clarioribus verbis Legislator id exprimere, non sequitur, quod si verbis his indifferentibus exprimat, non significet etiam futuram consuetudinem; Nam de facto fere omnes Doctores docent, quod verba illa cap. *Cum inter, De Consuetudine*, ubi irritatur consuetudo non servandi interdictum generale, extendantur etiam ad consuetudinem futuram.

Illud certum est apud Doctores contra Cardinalem, quod si lex verbis generalibus improbet omnem consuetudinem contrariam, non intelligatur de consuetudine immemorabili, nisi aperte dicatur, *Non obstante consuetudine contraria etiam immemorabili*. Ratio est, quia, ut notat Bonac. num. 43., consuetudo immemorabilis sæpe tra-

traxit originem ex privilegio, & ideo non debet per generale nomen consuetudinis reprobati. Certum etiam est, quod quaelibet lex particularis abroget consuetudinem praeteritam particularem in contrarium, etiam si non faciat illius mentionem; quia Legislator (saltem non supremus, nam de Legislatore supremo dicemus articulo sequenti) condens legem particularem non praesumitur ignorare consuetudinem particularem contrariam: Contra vero lex generalis non abrogat consuetudines particulares contrarias, nisi aut fiat illarum mentio, aut in genere reproberetur omnis consuetudo contraria. Ratio est, quia non censetur Legislator illarum habere notitiam, & ideo non censetur velle illas abrogare, nisi faciat illarum mentionem, ex cap. 1. de *Constit.* in 6.

IX. Queritur quinto, An consuetudo possit etiam aut abrogare legem irritantem, aut irritare actus ceteroqui validos?

Respondeo cum communi contra Covar. apud Sal. disp. 9. sect. 10., utrumque effici posse a consuetudine, sicut fieri potest a lege: Quare, ut diximus, possunt abrogari consuetudine impedimenta irritantia jure humano matrimonium, & viceversa possunt consuetudine induci alia impedimenta matrimonium irritantia. Et ratio a priori est, quia hujusmodi irritatio non transcendit potestatem Legislatoris humani; ergo sicut ea potest haberi per voluntatem expressam Legislatoris, ita etiam per tacitam, quae ostendatur in consuetudine. Neque obstat, quod Pontifex in cap. *Quod super his, De Affinitate*, caveat, ne inter gradus prohibitos contrahatur matrimonium, non obstantem consuetudine, quae dicenda est corruptela. Nam, ut notat Pal., ibi loquitur Pontifex de consuetudine non legitime praescripta,

& irrationabili, non vero de rationabili, quae supervenire potest, juxta dicta quaesito superiore.

X. Queritur ultimo, Quomodo consuetudo legem interpretetur?

Respondeo, consuetudinem interpretari legem authentice, si sit praescripta, quia tunc habet vim legis, etiam si sit legi contraria; Si tamen consuetudo non sit praescripta legitime decennio, interpretatur mentem Legislatoris solum conjecturaliter, & probabiliter; sicut solent illam interpretari Doctores: Quamvis secundum se probabilior sit interpretatio habita per consuetudinem non praescriptam; quia tunc major pars communitatis in unum convenit, & difficilius est, quod decipiatur ista, quam speculatio Doctoris. Immo, ut notat Suar., ad sic interpretandam legem non solum deservire potest consuetudo subsequens legem, sed etiam antecedens, & saepe etiam consuetudo vicinorum locorum. Notat tamen Menoch., quod si consuetudo non praescripta sit manifeste contra jus commune, erit dicenda corruptela, nec vim habet interpretandi conjecturaliter legem communem.

Hinc intelligitur, quomodo consuetudo probet, aut reprobet contractus, ut notat Sal. disp. 19. num. 203., non quia faciat illos licitos, vel illicitos; sed quia signum probabile est, quod sint liciti, si longa consuetudine exerceantur: Dicitur etiam consuetudo esse regula contractuum, quia contractus regulandi sunt juxta consuetudinem introductam; nam secundum illam intelliguntur esse celebrati, nisi aliud fuerit expressum, ex leg. *Semper ff. De regulis juris*,

## ARTICULUS V.

## De Abrogatione Consuetudinis.

- I. Consuetudo abrogatur aut per legem expressam, aut per contrariam consuetudinem.*
- II. Neque lex, neque consuetudo contraria priorem consuetudinem abrogat, nisi ex diametro illi opponatur.*
- III. Ut consuetudo contrariam consuetudinem abroget, debet esse legitime praescripta: Desuetudine autem consuetudo non abrogatur.*
- IV. Non usus legis iunc legem abrogat, quando aliquid contra legem continet: Sicut Privilegium amittitur, si quis libere per decennium illo non utatur.*
- V. Num per non usum amittatur Privilegium, quando facultas sit data simpliciter; adeo ut si ea detur, ut privilegiarius ea utatur ad arbitrium, nunquam amittatur per non usum?*
- VI. Verius privilegium universim amittitur per non usum, quando per decennium Privilegiarius, oblata opportunitate, & potens eo uti, non vult uti, ac veluti illi renunciat. Oppositum tamen non caret sua probabilitate.*

**I.** Dupliciter consuetudo abrogari, & mutari potest. Primo, per legem expressam. Secundo, per aliam consuetudinem contrariam.

II. Quæritur primo, Quando censetur lex consuetudinem abrogare?

Respondeo, legem non abrogare consuetudinem praescriptam, nisi clare, & ex diametro illi opponatur; Sicut lex non abrogat legem, nisi aperte sit illi opposita: Immo si verba legis possunt restringi ad hoc, ut non censetur abrogata consuetudo,

Pars I,

restringenda sunt; cum juris correctio quoad fieri possit vitanda sit, ex leg. *Praecipimus*, Cod. de *Appellat.* Ideo diximus articulo superiore, quod quamvis lex universalis abroget consuetudinem aequae universalem illi oppositam, nihilominus lege universali non censetur derogari consuetudini speciali, aut statuto municipali, nisi illius fiat mentio specialis, aut saltem in genere apponatur clausula derogatoria cujuscumque consuetudinis, aut statuti contrarii, ex cap. 1. De *constitution.* in 6.: Ubi redditur ratio hujus doctrinae, quia scilicet Princeps censetur probabiliter ignorare statuta, & consuetudines specialium locorum, quas si sciret, forte contrarium disponderet. Additque probabiliter Suar., Pal., Bonac. num. 42., nec lege speciali lata a Principe supremo pro aliqua Provincia censeri abrogatam consuetudinem illius loci, nisi specialiter ejus fiat mentio, propter eandem rationem; quia scilicet censetur illam ignorare Legislator, si sit Princeps supremus. Immo Suar. lib. 7. cap. 20. num. 12. probabiliter contra Pal. num. 7. putat, id esse verum etiam de consuetudinibus specialibus non praescriptis; quia textus universaliter loquitur, & eadem ratio militat pro utriusque. Demum lex continens clausulam generalem derogatoriam omnis consuetudinis probabiliter, ut diximus articulo superiore ex Azor. contra Sanch., non se extendit ad derogandam consuetudinem futuram, sed solum praeteritam; sed certum est non derogare consuetudinem immemoriam, nisi faciat illius mentionem specialem.

III. Quæritur secundo, Quando abrogetur consuetudo consuetudine contraria?

Respondeo, quod sicut lex non abrogatur, nisi consuetudine legitime praescripta, ita nec consuetudo praescripta habens vim legis abrogetur

T con-

consuetudine contraria, nisi hæc etiam legitime sit præscripta: Quare idem tempus, quod requisitum fuit, ut prior consuetudo haberet vim legis, requiritur, ut posterior consuetudo illi contraria eam abroget; Et probabiliter ad utramque sufficit decennium, ut diximus art. 2. Notandum tamen, quod non dicatur lex, aut consuetudo abrogata per solam desuetudinem, seu non usum, sed solum per consuetudinem contrariam, hoc est per positivam violationem legis, aut consuetudinis abrogandæ; nam si casus legis nunquam accidat, & nunquam lex violetur, nunquam non usus abrogat legem; abrogatio enim fieri debet per actus contrarios, seu per legis violationem; quando autem casus nunquam accidit, tunc non habentur actus contrarii, seu legis violativi; ergo nec illius abrogatio. Quare quando Jurisperiti dicunt, desuetudine, seu non usu legem abrogari, intelligendi sunt, abrogari legem per actus privativos, seu legis violativos, qui trahunt non usum, & desuetudinem legis; non vero per actus mere negativos, seu per præcisum non usum, eo quod casus legis nunquam acciderit: Exempli gratia, in leg. *Quaritur*, ff. de statu hominum decernitur, hermaphroditum magis ejus generis existimandum, quod in eo prævalet; Si tamen per centum annos non accidat casus, quod reperiantur hermaphroditum, non idcirco censetur derogatum tali legi; Contra vero censetur derogatum, si decem annis reperiantur duo, vel tres casus, in quibus sciente Principe contrarium decernatur.

IV. Notandum etiam, quod sicut non usus legis tunc legem abrogat, quando aliquid contra legem continet, non vero quando nunquam accidit casus legis; (exempli gratia, lex de audiendo Sacro aliquo die abro-

gatur præcisè per omissionem Sacri factam eo die a majori parte Communitatis decennio, quia talis omisio continet legis violationem) ita Privilegium obtentum a Principe amittitur etiam, ut notat Azor. apud Sal. loc. cit. si quis libere decennio non utatur tali privilegio; non tamen si illo non utatur necessario, seu quia nunquam accidit casus. Unde leg. 1. ff. De nundinis, dicitur, nundinis impetratis a Principe non utendo, qui renuit, decennii tempore, usum amittit: hoc est, si Civitas aliqua obtineat facultatem celebrandi nundinas, & per decennium ea facultate non utatur, amittit Privilegium per non usum, videlicet si voluntarie eo non utatur; non tamen si necessario: nam si quis, verbi gratia, habeat a Principe Privilegium ducendi aquam communem in fundum suum, & decennio non utatur tali privilegio, quia fons exaruit, non amittit privilegium, ut colligitur ex leg. *Unus ex Sociis*, ff. de Servitutibus rusticorum prædiorum; quia talis non usus est necessarius, eo quod non se obtulerit occasio.

V. Addit Azor., diligenter advertendum, quod per voluntarium non usum privilegii tunc amittatur privilegium, quando per privilegium datur simpliciter facultas ad aliquid faciendum, non vero quando datur facultas ad aliquid faciendum pro arbitratu privilegiati, ita scilicet ut possit ea uti, vel non uti ad arbitrium: Verbi gratia, si quis habeat simpliciter facultatem a Pontifice celebrandi tempore, aut loco interdicto, & tali privilegio oblata occasione nolit uti per decennium, tale privilegium amittitur per non usum, quia facultas ista data est simpliciter; Contra si detur alicui facultas extruendi molendinum in communi, vel in publico flumine, si libuerit, & centum annis nolit uti tali privilegio, non idcirco privilegium amittit.



amittit; quia non est data facultas simpliciter, sed data est illi facultas, ut ea utatur, si libuerit. Hac Azor., adversus quem bene objicit Sal., concedi universim privilegium, ut eo utatur privilegiatus, si voluerit; unde nunquam per non usum, etiamsi voluntarium, videtur privilegium amitti, sed solum per usum contrarium.

VI. Ideo dicendum verius ex Sal. disp. 17. num. 63. tunc privilegium amitti per non usum, quando oblata occasione, & potens commode eo uti, privilegiarius non vult eo uti per decennium; tunc enim veluti renunciat privilegio, & amittit illud per modum præscriptionis; Quod non solum est verum pro foro externo, sed probabiliter etiam pro interno; quia

præscriptio tollit jus etiam in conscientia, quamvis etiam sine culpa habentis jus habeatur præscriptio. Unde Suar. lib. 8. cap. 3. docet, quod habens privilegium, verbi gratia, comedendi lactinia diebus prohibitis, & nolens eo uti per decennium, probabiliter etiam in foro conscientie privilegium amittat, quamvis ob devotionem noluerit eo uti. Oppositum tamen Pal. punct. 18. disp. 4. putat esse probabile; quia in tali casu non habetur vera præscriptio; sed hæc solum habetur, quando privilegium est in gravamen aliorum, ( ut est privilegium Nundinarum ) quod certe per non usum decem annorum amittitur. Sed de his fusius agitur cum de Privilegiis.

## Q U Æ S T I O VIII.

### De Dispensatione Legis.

**P**recipuum in re morali quæstionem aggredimur; ex hac enim decisio plurium difficultatum in variis materiis passim contingentibus dependet. Primo itaque examinabimus, Quid sit, & in quamnam legem cadere possit Dispensatio? Secundo, Quinam possit dispensare in lege humana? Tertio, Circa quos exerceri possit Dispensatio? Quarto, De causa ad dispensandum requisita. Quinto, De dispensationis nullitate. Sexto, Quibus modis cesset dispensatio? Demum, Quomodo dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit? Et num semper sit invalida dispensatio, si dubitetur de ejus valore?

#### ARTICULUS I.

Quid sit Dispensatio, & an cadere possit in legem Naturalem, & Divinam?

*I. Dispensatio est juris relaxatio; atque adeo differt a legis Interpretatione, Abrogatione, Derogatione, Irritatione; necnon ab Absolutione, a Licentia, & a Privilegio.*

*II. Dispensatio legis in quo differat a dispensatione in voto, & a relaxatione juramenti?*

*III. Nequit Deus in lege naturali dispensare in iis circumstantiis, in quibus Lex natura obligat. Potest aliquando mutare materiam legis naturalis, mutando circumstantias, sub quibus ea obligat, & sic solum indirecte dispensat.*

*IV. Pontifex indirecte dispensat in lege naturali, puta in voto, in jura-*

T 2 men-